

in terra omnia quæcumque voluit fecit, in mari et in omnibus abyssis. »

XIII. « Suscitans nubes ab extremo terræ ¹. » Videmus ista opera Domini in ejus creatura. Veniunt enim nubes ab extremo terræ ad medium, et pluunt : unde surrexerint nescis. Ergo indicat illud Propheta, « Ab extremo terræ, » sive ab imo, sive a circumdatione finium terræ, unde vult excitat nubes, tamen a terra. « Fulgura » in pulviam fecit. » Nam fulgura sine pluvia, terrerent te, et nihil tibi darent. « Fulgura in pluviam fecit. » Fulgura sunt, contremiscis : pluit, gaudes. « Fulgura in pluviam fecit : » qui terruit, ipse ut gauderes fecit. « Qui » educit ventos de thesauris suis : » occultis causis, unde nescis. Quia enim flat ventus, sentis ; qua causa flat, vel de quo thesauro rationis eductus sit, nescis : debes tamen Deo pietatem credendi, quia non flaret nisi jussisset ille qui fecit, nisi produxisset ille qui creavit.

XIV. Videmus ergo hæc in creatura ista, laudamus, miramur, benedicimus Deum : videamus quæ fecit in hominibus propter populum suum. « Qui percussit primogenita Ægypti ². Etenim illa divina dicta sunt, quæ amares ; et non erant dicta, quæ timeres. Attende, quia et quando irascitur, facit quod vult. « Percussit primogenita Ægypti, ab homine usque ad pecus. Immisit signa » et prodigia in medio tui, Ægypte ³. » Nostis, legistis quanta per Moysen fecerit manus Domini in Ægypto ad terrendos, ad contundendos, ad dejiciendos superbos Ægyptios. « In Pharaone et in omnibus servis ejus. » Parum est in Ægypto : quid posteaquam eductus est inde populus ? « Qui percussit gentes multas : » quæ possidebant terram, quam volebat Deus dare populo suo.

¹ Psal. cxxxiv, 7. — ² Ibid. 8. — ³ Ibid. 9.

« Et occidit reges fortes, Seon regem Amorrhæorum, et » Og regem Basan, et omnia regna Chanaan ¹. » Omnia ista quomodo commemorat breviter Psalmus, sic ea legimus in aliis libris dominicis, et magna ibi manus Domini. Quando tu vides quæ facta sunt in impios, cave ne fiant in te. Ad hoc enim in illos facta sunt, ut tu transires, et eos non imitareris, et talia non patereris. Tamen vide quia flagellum Domini est super omnem carnem. Ne putes te non videri quando peccas, ne putes te contemni, ne putes Dominum dormire : attende exempla beneficiorum Dei, cum ea recolis, et cum vindictam Dei recolis, time. Omnipotens est, et ad consolandum, et ad castigandum. Ideo sunt ista utilia cum leguntur. Quando autem pius videt quod passus est impius, purgat se ab omni impietate, ne veniat et ipse in talem poenam talemque vindictam. Bene ergo hæc accepistis. Quid deinde fecit Deus ? Expulit impios : « Et dedit terram eorum hæreditatem, hæreditatem Israël servo suo ².

XV. Deinde exultatio laudis ejus : Domine, nomen tuum in sæculum ³ : post ista omnia quæ fecisti. Quid enim video quæ fecisti ? Inspicio creaturam tuam, quam fecisti in cælo ; inspicio hanc imam partem, ubi habitamus : et hinc video beneficia tua, nubium, ventorum, pluviarum. Populum tuum attendo : eduxisti eos de domo servitutis, et signa et prodigia fecisti inter inimicos eorum, punisti eos quos molestos patiebantur, impios de terra sua ejecisti, reges eorum occidisti, terram eorum populo tuo dedisti : vidi omnia, et impletus laude dixi, « Domine, nomen tuum » in sæculum. »

XVI. Hæc quidem ad litteram quomodo scripta sunt videmus, novimus, laudamus. Si autem aliquid significant,

¹ Psal. cxxxiv, 10, 11. — ² Ibid. 12. — ³ Ibid. 13.

non sim onerosus, dum explico ut potero. Ecce in ipsis hominibus possum agnoscere, quia « In cœlo et in terra » omnia quæcumque voluit fecit. » Cœlum enim æthereum, spirituales accipio; terram, carnales: ex his duobus tanquam cœlo et terra constat Ecclesia Dei, et ad spirituales pertinet prædicatio, ad carnales pertinet obsecundatio. « Nam et cœli enarrant gloriam Dei, et facta manuum » ejus annuntiat firmamentum¹. » Si autem terra Dei non esset plebs Dei, non diceret Apostolus, « Dei ædificatio, » Dei agricultura estis: sicut sapiens architectus fundamentum posui, alius superædificat². » Ergo ædificium Dei sumus, et ager Dei sumus. « Quis, inquit, plantat » vineam, et de fructu ejus non percipit? Ego plantavi, » Apollo rigavit, sed Deus incrementum dedit³. » Ergo et in Ecclesia sua, et in prædicatoribus suis, et in plebibus suis, tanquam in cœlo et in terra, omnia quæcumque voluit fecit. Parum est in eis: « In mari et in omnibus » abyssis omnia quæcumque voluit fecit. » Mare sunt omnes infideles, omnes nondum credentes; et in eis « Omnia quæcumque voluit fecit. » Non enim sæviunt infideles, nisi permittantur, aut vindicatur in eos, quando perversi sunt, nisi jusserit ille qui fecit omnes gentes. Puta quia mare est, et non terra, numquid ideo a potestate Dei omnipotentis alienum est? « Et in mari et in omnibus abyssis quæ voluit fecit. » Qui sunt abyssus? Latentia corda mortalium, profundæ cogitationes hominum. Quomodo et ibi facit Deus quod vult? « Quia Dominus interrogat justum et impium: qui autem diligit » iniquitatem, odit animam suam⁴. » Et ubi illum interrogat? Alibi scriptum est, « In cogitationibus impii interrogatio erit⁵. Ergo et in omnibus abyssis omnia quæ-

¹ Psal. xviii, 2. — ² I Cor. iii, 9, 10. — ³ Ibid. ix, 7, et iii, 6. — ⁴ Psal. x, 6. — ⁵ Sap. 1, 9.

» cumque voluit fecit. » Latet cor bonum, latet cor malum, abyssus est et in corde bono, et in corde malo: sed hæc nuda sunt Deo, quem nihil latet. Consolatur cor bonum, torquet cor malum. « Omnia ergo quæ voluit fecit » in cœlo et in terra, in mari et in omnibus abyssis. »

XVII. « Suscitans nubes ab extremo terræ¹. » Quas nubes? Prædicatores verbi veritatis suæ. De quibus nubibus alio loco irascens vineæ suæ dicit, « Mandabo nubibus » meis ne pluunt super illam imbrem². » Et parum est excitasse nubes de Jerusalem vel de Israël, quas misit prædicare Evangelium suum in toto orbe terrarum; de quibus nubibus dictum est, « In omnem terram exivit » sonus eorum; et in fines orbis terræ verba eorum³; » parum est hoc: sed quia ipse Dominus ait, « Prædicabitur » hoc Evangelium regni in toto orbe terrarum, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet finis⁴, » excitat nubes ab extremo terræ. Nam crescente Evangelio, unde erunt prædicatores Evangelii in finibus terræ, nisi ibi excitet nubes ab extremo terræ? De ipsis autem nubibus quid operatur? « Fulgura in pluviam fecit. » Minas ad misericordiam flexit, de terroribus irrigavit. Quomodo de terroribus irrigavit? Quando tibi minatur Deus per Prophetam et per Apostolum, et times, nonne coruscatio terruit te? Sed cum poenitendo corrigeris, et agnoscis hoc misericordia fieri, in pluviam vertitur fulguris terror. « Qui » educit ventos de thesauris suis. » Eosdem puto prædicatores et nubes et ventos, nubes propter carnem; ventos, propter spiritum. Nubes enim videntur, venti sentiuntur et non videntur. Denique quoniam carnem videmus esse de terra: « Nubes, inquit, excitat ab extremo terræ. » Expresserat unde excitet nubes: venit ad ventos quia spi-

¹ Psal. cxxxiv, 7. — ² Isai. lv, 6. — ³ Psal. xviii, 5. — ⁴ Matth. xxv, 14.

ritus hominis ignoratur unde veniat. « Producens, inquit, » ventos de thesauris suis. » Paululum attendite, et cætera videamus¹.

XVIII « Qui percussit primogenita Ægypti, ab homine usque ad pecus². » Primogenita nostra salva sint Domino, quoniam ipse ea dedit nobis. Molesta autem pœna est, et nimium terribilis plaga, mors primogenitorum. Quæ sunt primogenita nostra? Mores isti nostri, quibus nunc servimus Deo, ipsa sunt primogenita nostra. Primitias enim habemus ipsam fidem; unde incipimus. Ecclesiæ quippe dictum est, « Venies et pertransies ab initio fidei³. » Et nemo incipit bene vivere, nisi a fide. Fides ergo nostra in primogenitis nostris est. Quando custoditur fides nostra, cætera subsequi possunt. Nam quod purgantur homines quotidie proficiendo in melius, meliusque vivendo, ipso interiore homine renovato de die in diem, sicut dicit Apostolus, « Etsi exterior noster homo corrumpitur, sed interior renovatur de die in diem⁴: » ideo fit quia primogenita fides vivit, de qua primogenita fide et Apostolus ait, « Non solum » autem, sed et nos ipsi primitias spiritus habentes, id est, » dantes jam Deo primitias spiritus nostri, hoc est, ipsam fidem tanquam primogenita nostra: tamen in nobismetipsis » ingemiscimus, adoptionem expectantes, redemptionem » corporis nostri⁵. » Si ergo magna Dei gratia est, ut conservetur fides nostra: magna pœna est occidere primogenita, quando homines in afflictione Ecclesiæ constituti perdunt fidem. Affligunt enim Ecclesiam, ut perdant fidem: nam et ipsa Ægyptus afflictio interpretatur. Quicumque ergo affligunt Ecclesiam, quicumque scandala Ecclesiæ immittunt, etsi Christiani appellentur, moriuntur primogenita eorum. Erunt infideles, erunt inanes,

¹ Joan. III, 8. — ² Psal. cxxxiv, 8. — ³ Cant. IV, 8, juxta LXX. — ⁴ 2 Cor. IV, 16. — ⁵ Rom. VIII, 23.

habentes nomen tantum et signum: in corde autem primogenitum suum sepelierunt; usque adeo, ut quando ei aliquid dixeris, propter bonam vitam, propter spem vitæ æternæ, et propter timorem ignis æterni, apud se subsannet; aut si talis est ut audeat coram te, os torqueat et dicat, Quis huc inde reversus est? dicunt sibi homines quod volunt. Et Christianus est: sed quia affligens, occisus est primogenitus ejus, mortua est fides ejus: et hoc « Ab homine usque ad pecus. » Dicam, fratres, quod sentio. Homines intelligo spiritualiter significari tanquam doctos, propter rationalem animam, quod est homo: pecora vero indoctos, sed tamen habentes fidem, nam non haberent primogenita. Sunt docti qui affligunt Ecclesiam, schismata et hæreses faciendo. Proinde nec in illis invenis fidem, quoniam facti sunt Ægyptus, id est, afflictio populo Dei. Occisa sunt primogenita eorum: trahunt post se turbas indoctas, ipsa sunt pecora. In hac ergo afflictione, qua Ecclesia affligitur, moritur in affligentibus fides. Moriuntur primogenita et in ipsis doctis et indoctis; quia occidit Deus primogenita Ægyptiorum « Ab homine usque ad pecus. »

XIX. Immisit signa et prodigia in medio tui, Ægypte, » in Pharaone et in omnibus servis ejus¹: » Pharaon rex Ægyptiorum. Nomen attendite, et videte quemadmodum ista faciat Deus. Rex in omni gente prior est; Ægyptus afflictio est; Pharaon dissipatio. Afflictio ergo regem habet dissipationem: quia illi qui affligunt Ecclesiam, dissipati affligunt. Ut enim affligant, dissipantur: quoniam rex ducit, populus sequitur; præcedit dissipatio, sequitur afflictio. Audite, audite nomina hæc, interpretatione typica et sapientia plena. Nec unum invenis ex istis nomini-

¹ Psal. cxxxiv, 19.

bus, quod boni aliquid interpretetur, ubi exercuit Deus iram suam.

XX. « Percussit gentes multas, et occidit reges for-
» tes. » Dic quos reges et quas gentes? « Seon regem
» Amorrhæorum¹. » Audite nomina grava sacramen-
tis. « Seon regem, inquit, Amorrhæorum occidit. » Oc-
cidit plane: et nunc occidat a cordibus servorum suorum,
et a tentationibus Ecclesiæ suæ, nec cesset manus ejus
in occidendis talibus regibus et talibus populis: inter-
pretantur enim Seon, Tentatio oculorum; Amorrhæi in-
terpretatur, Amaricantes. Jam hic videte si intelligere
possumus quomodo amaricantes regem habeant tentatio-
nem oculorum. Tentatio oculorum non est nisi menda-
cium: colorem habet, veritatem non habet. Jam quid
mirum est, si amaricantes talem habeant regem, menda-
cem regem? Nisi enim mendacium et simulatio præcedat,
non sunt amaricantes in Ecclesia: inde enim amaricant,
quia fingunt. Præcedit tentatio oculorum, amaricatio se-
quitur: et in ipso diabolo præcessit. Nam tentatio oculo-
rum est, « Quod transfiguratur se velut angelum lucis²? »
Occidat manus Domini et illum et illos; illum, ne inducat;
illos ut corrigantur. Etenim in unoquoque homine occidi-
tur ille rex, quando damnat simulationem, et diligit ve-
ritatem. Manus Dei non quiescit id agere. Nam quemad-
modum egit ad litteram tunc, sic agit nunc spiritualiter,
ut impleat quod tunc prophetice prænuntiavit. Occidit
etiam alium regem et alium populum ejus. « Et Og regem
» Basan. » Et hic quam malus? Og interpretatur, con-
clusio: Basan interpretatur, Confusio. Malus est rex ille,
qui intercludit viam ad Deum. Hoc enim agit diabolus,
semper opponendo figmenta sua, opponendo idola sua,

¹ Psal. cxxxiv, 10, 11. — ² 2 Cor. xi, 14.

opponendo se necessarium per arreptitios sortilegos, au-
gures, haruspices, magos, sacra dæmoniorum, concludit
viam. Quomodo per Christum id agitur, ut pateat via, quæ
fuerat interclusa; nam per eum redemptus quidam dicit,
« Et in Deo meo transgrediar murum¹: » sic diabolus ni-
hil aliud agit, nisi ut intercludat viam, ne credatur in
Deum. Si enim creditur in Deum, patet via; et ipse Chris-
tus est via²: si autem non creditur in Deum, interclusa
est via. Si autem interclusa fuerit, quia non creditur,
quid restat, nisi ut, cum venerit qui non credebatur, con-
fundantur qui non crediderunt? Quare? Quia conclusio
præcedit, et sequitur confusio. Conclusio præcedit ut rex,
sequitur confusio tanquam plebs. Quos modo concludit,
ut non credant in Christum, quando apparuerit Christus,
omnes confundentur, et traduent eos ex adverso iniqui-
tates eorum. Tunc dicent impii confusi, « Quid nobis pro-
» fuit superbia³? Magna mysteria, fratres mei, Dissipatio
rex afflictionis; dissipantur ut affligantur. Magna myste-
ria. Tentatio oculorum, id est, fallacia rex amaricantium;
fallunt enim ut amaricent. Conclusio rex confusionis:
concluduntur enim ne transeant ad fidem, et cum vene-
rit in quem credimus, confundentur. « Et omnia regna
» Chanaan, » occidit Deus. Chanaan interpretatur, Pa-
ratus humilitati. Humilitas quasi bonum aliquod signifi-
cat, sed si sit utilis humilitas: nam mala humiliatio pœ-
nalis est. Si enim humiliatio ad pœnam non pertineret, non
diceretur, « Qui se exaltat, humiliabitur⁴. » Non enim
beneficium illi præstatur, quando punitur ut humilietur.
Chanaan ergo modo superbus est. Omnis impius, omnis
infidelis exaltat cor suum: non vult credere in Deum. Sed
hæc exaltatio parata est humilitati in diem iudicii: tunc

¹ Psal. xvii, 30. — ² Joan. xiv, 6. — ³ Sap. [v, 8. — ⁴ Luc. xiii, 11, et
xviii, 14.

humiliabitur, quando non vult. Sunt enim vasa iræ, quæ perfecta sunt ad perditionem¹. Modo extollant se, garriant, extendant se super fideles, irrideant fideles, blasphemant Christianos: dicant, Anicularia sunt ista, quæ dicunt de die iudicii. Ista elatio eorum parata est humilitati. Quando venerit iudex, qui modo annuntiatu irridetur, tunc ille qui modo superbit, non utiliter, sed pœnaliter humiliabitur. Modo autem non humiliatur, sed paratur humilitati, id est, paratur damnationi, paratur victimæ.

XXI. Omnia ergo ista evertit Deus; corporaliter tunc, quando patres nostri educti sunt de terra Ægypti; evertit spiritualiter nunc, nec cessat manus ejus usque in finem. Ideo ne istas potentias Dei tunc putes peractas cessasse: « Domine, nomen tuum, inquit, in sæculum. » Id est, non cessat misericordia tua, non cessat manus tua in sæculum facere ista, quæ tunc prænuntiasti figurando: « Omnia enim illa in figura contingebant illis; scripta sunt » autem ad correptionem nostram, in quos finis sæculorum obvenit². Domine, memoriale tuum in generationem et generationem. » Generatio ista et generatio altera: generatio qua fideles efficimur, et per baptismum renascimur; generatio qua a mortuis resurgemus, et Angelis conjuncti vivemus in æternum. Memoriale tuum, Domine, et super generationem istam, et super illam generationem: quia nec nunc nos oblitus est, ut vocaret; nec tunc obliviscetur, ut coronet. « Memoriale tuum, Domine, in generationem et generationem. »

XXII. « Quoniam judicavit Dominus plebem suam³. » Complevit certe omnia illa in populo Judæorum. Numquid jam remanserunt opera ejus, postquam induxit plebem suam in terram repromissionis? Adhuc plane judicabit:

¹ Rom. ix, 22. — ² I Cor. x, 11. — ³ Psal. cxxxiv, 14.

« Judicavit Dominus plebem suam, et in servis suis ad » vocabitur. » Jam judicavit ipsam plebem: excepto iudicio futuro, judicata est plebs Judæorum. Quid est, judicata? Separati inde sunt justi, et remanserunt injusti. Si autem mentior aut mentiri existimor, quia dixi, Jam judicata est: audi Dominum dicentem, « In iudicium veni » in hunc mundum, ut qui non vident videant, et qui » vident cæci fiant¹. » Excæcati sunt superbi, illuminati sunt humiles. « Judicavit ergo plebem suam. » Ipsum iudicium dixit Isaias: « Et nunc tu domus Jacob, venite, » ambulemus in lumine Domini². » Parum est hoc, sed quid sequitur? Dimisit enim plebem suam domum Israël. Ipsa est domus Jacob, quæ est domus Israël: qui enim Jacob, ipse est Israël. Nostis sanctas litteras, et puto quod vobis veniat in mentem, quia ipse Jacob quando vidit Angelum secum luctari, tunc accepit nomen ut appellaretur Israël³. Unus homo est sive Jacob, sive Israël, una persona est: domus Jacob, et domus Israël, una gens, una plebs: hanc invitat, et hanc dimittit. Et nunc jam certe occidisti Christum, o domus Jacob, jam occidisti Christum, jam caput ante crucem agitasti, jam pendentem irrisisti, jam dixisti, « Si filius Dei est, descendat de cruce⁴. » Jam rogavit medicus pro phreneticis, « Pater ignosce illis, quia » nesciunt quid faciunt⁵. » Certe jam fecisti ista omnia, et nunc crede in eum quem occidisti, bibe sanguinem quem fudisti. Et nunc tu domus Jacob: testimonio Isaiæ exponere cupio quod hic dixit; « Quoniam judicavit Do- » minus plebem suam, et in servis suis advocabitur. » Judicasse enim intelligitur plebem suam, separando in ipsa plebe sua bonos a malis, fideles ab infidelibus, Apostolos a Judæis mendacibus. Hoc significavit, ut dicere

¹ Joan. ix, 39. — ² Isai. ii, 5. — ³ Gen. xxxii, 28. — ⁴ Matth. xxvii, 39. — ⁵ Luc. xxiii, 35, etc.

cœperam, per Prophetam dicens, « Jam post illa mala » omnia tua, o tu domus Jacob, venite, ambulemus in » luce Domini. » Quare vobis dico, « Venite, ambulemus » in luce Domini? » Ne remanendo in judaïsimo, non perveniatis ad Christum. Quare enim? Non semper ibi prophetatus est Christus? Sed nunc dimisit plebem suam, domum Israël. Veni domus Jacob, quia dimisit plebem suam domum Jacob: veni domus Israël, quia dimisit plebem suam domum Israël. Quæ venit, et quæ dimissa est, nisi quia hoc est iudicium, « Ut qui non vident videant, » et qui vident cæci fiant¹? Judicavit ergo Dominus plebem suam. » Separavit ergo, et non ibi inveniet quos in regnum suum restituat? Plane inveniet. « Et in servis » suis advocabitur. Non repulit, ait Apostolus, plebem » suam, quam præscivit². » Et unde probat? « Nam et » ego Israëlita sum. » Ergo, « Judicavit Dominus plebem » suam, » separando bonos a malis: hoc est, « Et in servis » vis suis advocabitur. » A quibus? A gentibus. Quantæ enim gentes credendo venerunt? Quanti fundi, quanta loca deserta modo veniunt? Veniunt inde nescio quanti, credere volunt, dicimus eis, Quid vultis? Respondent, Nosse gloriam Dei. Credite fratres, mirari nos et gaudere ad talem vocem rusticanorum. Veniunt nescio unde, excitati a nescio quo. Quid dicam, a nescio quo? Imo scio a quo: quia, « Nemo venit, inquit, ad me, nisi quem Pater attraxerit³. » Veniunt subito de sylva, de deserto, de remotissimis et arduis montibus ad Ecclesiam, et hanc vocem habent plerique et pene omnes eorum, ut videamus vere intus docentem Deum. Impletur Scriptura prophetica, qua dictum est, « Erunt omnes docibiles Deo⁴. » Quid desideratis, dicimus illis. Et illi, « Videre gloriam

¹ Joan. ix, 39. — ² Rom. xi, 1. — ³ Joan. vi, 44. — ⁴ Isaï. liv, 13.

» Dei¹. Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei². » Credunt, consecrantur, clericos sibi ordinari exigunt. Nonne impletur, « Et in servis suis advocabitur. »

XXIII. Denique post istam totam dispositionem et dispensationem, convertit se Spiritus Dei ad exprobranda et irridenda idola, quæ jam irridentur a cultoribus suis: « Idola Gentium argentum et aurum. » Ista omnia Deo faciente, qui in cœlo et in terra omnia quæcumque voluit fecit, qui judicavit plebem suam, et in servis suis advocabitur; quid restat figmentum, nisi ridendum, non adorandum? Idola Gentium dicturus erat fortasse, ut contemneremus ista omnia; dicturus erat idola Gentium, lapides et ligna, gypsum et testam? Non hæc dico, vilis materia est: illud quod valde amant, vel quod valde honorant dico, « Idola Gentium argentum et aurum³. » Certe aurum est, certe argentum est: numquid quia lucescit argentum, lucescit aurum, ideo oculos habent et vident? Sic quomodo argentum est, quomodo aurum est, utile forte avaro, non religioso; imovero nec avaro utile, sed utile bene utenti, et per ejus erogationem cœlestem thesaurum acquirenti: tamen nunc cum ista insensata sint, quid facitis, homines, de argento et auro deos? « Quos » deos facitis, nonne videtis quod non videant⁴? Oculos » habent, et non videbunt; aures habent et non audient; » nares habent, et non odorabunt; os habent, et non » loquentur; manus habent, et non operabuntur; pedes » habent, et non ambulabunt⁵. » Omnia ista artifex, faber argentarius, aurifex facere potuit, et oculos, et aures, et nares, et os, et manus, et pedes: sed nec lucem oculis, nec auditum auribus, nec vocem ori, nec sensum naribus, nec motum manibus, nec iter pedibus dare potuit.

¹ Joan. vi, 45. — ² Rom. iii, 23. — ³ Psal. cxxxiv, 15. — ⁴ Sap. xv, 15. — ⁵ Psal. cxxxiv, 16, 17.

XXIV. O homo, rides jam procul dubio quod fecisti, si a quo factus es agnovisti. De illis autem qui non agnovērunt, quid dicitur? « Similes illi sint omnes qui faciunt » ea, et omnes qui confidunt in illis¹. » Et creditis, fratres, exprimi in eis quamdam similitudinem idolorum, non quidem in carne eorum, sed in interiore homine eorum. Nam aures habent, et non audiunt: ad illos quippe clamat Deus, « Qui habet aures audiendi audiat². Oculos » habent, et non vident: » habent enim oculos corporis, sed non habent oculos fidei. Denique impletur hæc prophetia per omnes gentes. Videte quomodo dictum sit per Prophetam. Nihil allegoricum, nihil figuratum commemoro. Propriam, expressam, simplicem manifestam audite propheticam prædictam, videte completam. « Prævaluit, » inquit, Dominus adversus eos: » Propheta dicit Sophonias. Adversus repugnantes, adversus rebellantes, et de occisione fidelium martyres facientes, sed tamen nescientes, « Prævaluit Dominus adversus eos. » Et quomodo prævaluit? « In Ecclesia sua, videmus quia prævaluit ad » versus eos³. » Volebant paucos Christianos extinguere, occidere; sanguinem fuderunt, de sanguine occisorum tanti exurrexerunt, a quibus illi interfectores Martyrum superarentur. Tamen et modo quærunt ubi abscondant idola sua, qui primo Christianos propter idola trucidabant. Nonne prævaluit adversus eos Dominus? Vide si facit quod sequitur, « Prævaluit Dominus adversus eos. » Et quid fecit? « Exterminavit omnes deos Gentium terræ, et ad » rabunt eum unusquisque de loco suo, omnes insulæ » Gentium⁴. » Quid est hoc? Nonne prædictum erat? nonne completum est? nonne ut legitur, sic videtur? Et illi qui remanserunt, oculos habent, et non vident; nares habent, et non odorant. Non sentiunt illum odorem: « Christi bo-

¹ Psal. cxxxiv, 18. — ² Matth. xi, 15. — ³ Sophon. ii, 11. — ⁴ Ibid.

nus odor sumus, sicut dicit Apostolus, in omni loco¹. » Quid prodest, quia nares habent, et non odorant tam suavem odorem Christi? Vere in illis factum est et vere de illis dictum est, « Similes illis sint omnes qui faciunt » ea, et omnes qui confidunt in eis. »

XXV. Sed quotidie credunt per miracula Christi Domini, quotidie aperiuntur oculi cæcorum et aures surdorum, inspirantur nares insensatorum, dissolvuntur ora mutorum, constringuntur manus paralyticorum, corriguntur pedes claudorum, de lapidibus istis excitantur filii Abrahæ: quibus omnibus jam dicatur, « Domus Israël, » benedicite Dominum: » Omnes filii Abrahæ: etsi de lapidibus istis suscitantur filii Abrahæ²; manifestum est quia illi sunt magis domus Israël, qui pertinent ad domum Israël, qui pertinent ad semen Abrahæ, non carne, sed fide. « Domus Israël, benedicite Dominum. » Sed fac de domo illa dici, et populum Israël vocari: crediderunt inde Apostoli et millia circumcisorum. « Domus Israël, be » nedicite Dominum; Domus Aaron, benedicite Dominum; » domus Levi, benedicite Dominum³. » Benedicite populi Dominum, hoc est, « Domus Israël » generaliter: benedicite præpositi, hoc est, « Domus Aaron: » benedicite ministri, hoc est « Domus Levi. » Quid de cæteris nationibus? « Qui timetis Dominum, benedicite Dominum. »

XXVI. Omnes ergo una voce dicamus quod sequitur: « Benedictus Dominus ex Sion, qui habitat in Jerusa » lem⁴. » Ex Sion et Jerusalem. Sion speculatio, Jerusalem visio pacis. In qua Jerusalem nunc habitaturus est? In illa quæ cecidit? Non, sed in illa matre nostra, quæ est in cœlis, de qua dictum est, « Multi filii desertæ, » magis quam ejus quæ habet virum⁵. » Nunc ergo Do-

¹ 2 Cor. ii, 15. — ² Matth. iii, 9. — ³ Psal. cxxxiv, 20. — ⁴ Ibid. 21. — ⁵ Isai. liv, 1, et Gal. iv, 26, 27.